Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 23
Quelle:
Copyright:

pleuit feliciter. Anno domini Millesimo. Quadringentesimo. Quadragesimo Tercio. Secunda Feria proxima post festum Epiphaniarum domini. Pro quo sit benedictus deus gloriosus in secula seculorum Amen. Sequitur nota illa interpretatio nominum Hebraicorum, Chaldaicorum, et Graecorum, quae in sacris Bibliis occurrunt, iuxta seriem literarum.

Meminit hujus Codicis ex Lambecio *Le Long Bibl. S. T. II. Paris.* 1723. *p.* 241. *f.*

XVI. VIII A. 19.

53 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 522. f. per duas columnas nitidissime exaratus, Librorum et Capitum frontibus, margineque passim auro coloribusque visendo, plurimisque item picturis historicis ornatus comprehendit *Biblia utriusque Testamenti ex interpretatione vulgata*, Praefationibus *Hieronymi*, ubi habentur, tum aliis brevioribus argumentis instructa, ordine consueto, nisi quod *Psalterium* ad finem Codicis rejectum sit, *Epistolae Paulinae* Acta Apostolorum antecedant. Inter Picturas seculum nostrum maxime offendunt *Fol.* 4. illae, quae ad exprimendas tres in una Deitate Personas senem bicipitem prominente insuper ex occipitio columba spectandum praebent. Neque risum teneas ad eam, qua *Fol.* 97. Booz et Ruth a Sacerdote Pallio, quod vocamus, archiepiscopali ornato matrimonio junguntur. *Esdras* in *Libros* V. dividitur. L. I. integer est, sed *Capita* IX. pro X. censet. L. II. pariter integer. Qui III. inscribitur primum duo prima *Capita* quarti exhibet, dein genuinus tertius decurrit non tamen in IX. sed VII. *Capita* tributus. L. IV. a *Capite* III. incipit, pertingitque ad XV. censet tamen *Capita* XVII. L. V. demum *Capitibus* III. a *Capite* XV. Quarti usque ad finem definitur. Dictio etiam ipsa frequenter ab impressis Exemplaribus variat. *Cantica Canticor.* instar Colloquii inter Christum, Ecclesiam, Synagogam &c. repraesentantur, quod jam et alibi adnotavimus. Ad vocem *fragrantia* C. I. v. 1. in margine legitur: *Versus: fla facit ardorem, sed fra largitur odorem.* *Baruch* hanc rubricam praefert: *Incipit baruch liber notus Jeremie.* Epistolam ad *Colossenses* bis ad *Colonicenses* inscriptam invenio. I. *Joh.* c. 5. praecedit testimonium terrestre; verba tamen illa: *et hi tres unum sunt*, manus recentior pene erasit et punctis subnotavit. Ad calcem *Apocalypseos* primum legitur: *Explicit epistola Johannis*, tum:

Qui scripsit scribat. semper cum domino uiuat.
Viuat in celis. Johannes nomine felix.

Sequitur *Psalterium* hoc titulo: *Incipit psalterium secundum romane curie*, et nota illa vocum hebraic. et graecar. per Alphabeti